
C



1588

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1

7.- 116

DA Box

LN 1132
ex. 1
M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1

+

Illustrissimo ac gen-
rosissº Principi ac Do-
mino, Dn: Christiano
IIII. Regi designato
Daniæ & Norvegiæ &c
Domino suo clementissº,

P. M.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1

CONCIONES QVAE IN TRIBVS DIEBVS

publicarum precationum,

5. 6. 7. Februarij

Eccleſiæ propo-
nentur.



HAFNIÆ

Impreſsit Matthias Vinitor,

ANNO

1588.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1

PSAL. 50.

INuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.

CON.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1

CONCIO PRIMÆ Diei.

Eſaiæ 5.

NVnc igitur ciues Ieruſalem & viri Iuda iudicate inter me & vineam meam. Quid erat præterea faciendum vineæ meæ, quod ego non feci in ea? Quare expectaui vt gigneret vuas, & genuit labruſcas? Nunc ergo oſtendam vobis, quid ego facturus ſim vineæ meæ. Auferetur ſeptum eius, vt ſit obnoxia vaſtitati, & diſrumpetur maceria eius, vt conculcetur. Ponamq́ eam adeò deſertam, vt nec falx putatoria ei admoueatur, nec fodiatur, ſed vepres & ſpinæ in ea creſcant, & nubibus præcipiam, ne aquis pluuijs eam humectent.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1

SI quis diligentiùs intueatur præſentem ac luctuoſum rerum penè omnium ſtatum, facilè animaduertit grauiſſimas cauſas, quibus adductus sereniſsimus ac pijſsimus Rex noſter, tres hoſce publicarum litaniarum dies, ſolenni ritu celebrandos ordinârit. Quocunq; enim oculos circumferimus, nihil pluribus nunc annis cernitur, præter cyclopicam barbariem, & pluſquam Turcicam immanitatem, ita paſsim miſeri homines crudeliſsimè mactantur: honeſti ciues, omnibus facultatibus exuti, cum vxoribus & liberis, ſedibus ſuis miſerè excutiuntur: plurimi dirâ fame miſerabiliter enecantur: peſte multa hominum millia, proximis annis paſsim occubuerunt: Et quis, quæſo, mala omnia, quæ in vniuerſum

penè

penè mundum, aliquot nunc annis inundarunt, facilè enumerârit?

Quid autem de hoc anno, quem nuper ingreßi ſumus, quemq́ fœlicem ac ſalutarē Eccleſiæ ſuæ, nobis, omnibusq́ pijs Deus eſſe velit, ante multos annos prædictum ſit, paucos eſſe opinor, qui ignorant, præſertim eorum, qui ad iuſtam ætatem peruenerunt. Sed vt nihil demus huiuſmodi prædictionibus, vt quæ non à Prophetis, ſed ab hominibus, quos longißimè interdum, à vero aberraſſe conſtat, profectæ ſunt: Tamen ex multis coniecturis diuinitus patefactis, ratiocinari probabiliter & poſſumus & debemus, aut inſtare, aut appropinquare finem mundi, aut certè fatales pœnas, ac triſtes mutationes, Eccleſiæ & Reipublicæ chriſtianæ imminere.

Hæc diligenter ſecum perpendens Optimus ac Pijßimus Rex noſter, fa-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1

cilè animaduertit, præſentia tempora, plena eſſe periculorum, quæ niſi ſingulari præſidio diuino, nullis humanis viribus, potentia aut ſapientia euitari poſſunt: Ideoq́ue, quod omnium præſentiſsimum eſt remedium, ad Deum, ſeriâ pœnitentia confugiendum ſtatuit, vt agnitis Dei beneficijs, quibus hæc regna & prouincias affatim cumulauit, noſtram ingratitudinem & multiplices vitiorum noſtrorum ſordes accuſemus, iuſtiſsimas & commeritas iræ diuinæ pœnas ſeriò metuamus, Verâq; conuerſione ac ſeria inuocatione, ad Deum accedamus, nihil dubitantes, quin per ac propter filium ſuum vnigenitum nos in gratiam verè recipiat, præſentiaq́; ac imminentia mala, vel penitus auferat, vel, pro paterna ſua bonitate, clementer mitiget. Agite igitur Chariſsimi, excitemus nos, ad hoc tam ſerium Clementiſsimi Regis

noſtri

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1

noſtri mandatum, tamq́ pium eius M: exemplum, vt omni excuſſo veterno, omnibusq́ auocamentis ſepcſitis, frequentes triduum hoc conueniamus, in vera, non ſimulata humiliatione, coram facie Dei nos proſternentes, qui preces noſtras, quas in nomine filij eius vnigeniti, vnanimiter fundimus, clementer eſt exauditurus.

Filius Dei, propitiator & mediator noſter vnicus, excitet in nobis Spiritum illum gratiæ & precum, noſtrasq́ preces, ſua interceßione apud Patrem promoueat, vt in nomine eius clementer exauditi, ipſum cum Patre & Spiritu Sancto æternis laudibus celebremus, Amen.

Nunc ad textum, ſuprà recitatum, propiùs accedamus, quem docendi gratiâ, in tres partes diſtribuamus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1

1. *Continet horrendam iuſtiſsimi Dei cum ingratiſsimis Iudæis diſceptationem.*

2. *Cauſſam veram diſceptationis huius ab illis extorquet: vt in conſcientia ſua fateantur & agnoſcant, vbi perituri ſint, ſeſe non vllo Dei, ſed ſuopte vitio perire.*

3. *Ingrato & conuicto populo triſtiſsimas pœnas denunciat.*

DE PRIMA Parte.

Nunc igitur ciues Ieruſalem & viri Iuda iudicate inter me & vineam meam.

Cùm optimus Deus immenſa ſua bonitate & miſericordia populum Iudaicum plurimis, ampliſsimisq; beneficijs cumulârit: quæ & hîc vates meminit, & Apoſtolus commemorat, Rom. 9. Et illi hic populus, à quo tantorum beneficiorum lætos atq; vberes

res

res fructus, verumq́; ſui cultum expe-ctârat, nihil niſi labruſcas, amaritu-dines, nefariaq́ue ſcelera reddiderit: animo ad iuſtiſsimā iram percito, con-ſcientiam ſingulorum de tanta iniuria, hac tragica concione compellat.

Ciues Ieruſalem, &c.

Ipſos ciues Ieruſolymitanos intelli-git, & omnes Iudæos regionis to-tius.

Iudicate.

Id eſt: Quisq; veſtrum in ſua con-ſcientia ſeorſim iudicet. Eodem ferè modo Mich. 6.

Inter me & vineam meam.

Id eſt: Inter me & electum popu-lum meum, Iſraëlis ſatu procreatum. vide infra verſ. 7.

Vineæ comparat hanc gentem: Quia ſicut paterfamilias vineam ſuam non tantum in precio habet: verùm etiam illam nauiter, ſummoq́; ſtudio

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1

excolit: Ita Deus & gentem hanc, præ cæteris omnibus totius orbis terrarum gentibus, ſingulari amore proſecutus eſt: Et eius curam ita habuit, vt nihil ei, modo voluntati illius parêre non deſtitiſſet, vnquam de ſumma beatitudine & fœlicitate deëſſe potuiſset.

O quam horrendum id eſt: Deum ipſum, quem iure tremunt ac horrent vniuerſa, qui fumum iratus naribus exhalat, & ardentem ignem faucibus eiaculatur, cineri ac pulueri litem intendere. Nec id ſimplici & vſitato contendentium more: Vbi pernegat alter, quod ab altero obijcitur: Sed more nouo & inſueto, vbi conſtituuntur in communi cauſſa ipſi rei ab actore iudices. Quid aliud hoc ſibi vult: quam crimen apertum eſſe, reum conuictum, ac iuſto, exquiſitoq́ ſupplicio mox adiudicandum? Quid tali diſceptatione

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1

tione triſtius ac horribilius cogitari poteſt?

Dauid peccato ſuo iam abſolutus: eam vtcunq;, quæ, & cuius momenti fuerit, intellexit. Quamobrem toto pectore exhorreſcens, exclamat: Domine ne intres in iudicium cum ſeruo tuo: quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo vllus viuens, Pſal. 143. Item, Si iniquitatem obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit?

Iam tu pauliſper attentus hîc ſubſiſtas. Quæro abs te: Solóſ ne Iudæos Deus hoc fulmine per Prophetam ferit: tanquam qui non eâdem opera, vociſq; libertate, nos quoq; perſtringat? Audi quid Apoſtolus reſpondeat: Quæcunq;, inquit, antè ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. Rom. 15. Proinde, cùm nec ouum ouo, nec lacti lac tam ſimile ſit: quam ſumus nos hodiè ſceleratiſsimis Iudæis: Sicut

in

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1

in proxima parte demonſtrabitur: Suique ſemper ſimilimus iuſtiſſimus Deus perſiſtat: certum atq; indubitatum eſt, nos quoq; omnes ac ſingulos, qui in hiſce ſeptentrionalibus regnis hodiè degimus, hac ſeueriſſima ac triſtiſſima concione peti ac compungi.

Cohorreſcamus igitur animis: audientes ex hoc ſuggeſto nunc, Deum ipſum nobiſcum, eo, quo antea dixi, modo diſceptantem. Hoc enim quid aliud eſt, quàm vt nos propriâ conſcientia conuictos, in profundiſſimum inferni barathrum, vbi pœnas ſimus delictorum inextricabiles luituri, præcipites agat? Tunc veriſſimè complebitur id, quod Pſal. 18. decantatur: Clamabant, & non erat ſeruator: ad Dominum, & non exaudiuit eos. Nam ira Dei in æternum manet aduerſus eos: qui in æternum, abſq; pœnitentia, ſcelera patrare gaudent.

DE

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1

DE SECVNDA Parte.

Quàm horrendum ſit, Deum cum homine diſceptare: breuiter explicatum eſt: Sequitur nunc ſecunda pars: quæ veram huius diſceptationis cauſſam monſtrat.

> Quid erat præterea faciendum vineæ meæ, quod ego non feci in ea? Quare expectaui, vt gigneret vuas, & genuit labruſcas?

Duo nobis hîc conſideranda ſunt: Vnum, nihil à parte Dei, quò minus ſeruari potuiſſent Iudæi, prætermiſſum eſſe. Alterum, cauſſam, quod ſint perditi, in illis ipſis reſediſſe. De vtroq; breuiter dicemus.

De primo.

Deum nihil prorſus eorum, quæ ad ſalutem & fœlicitatem Iudæorum pertinerent, omiſiſſe, duobus argumentis noſter textus obtinet.

Quid

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1

Quid erat præterea faciendum vineæ meæ, quod ego non feci in ea?

Eſt hoc primum argumentum ab efficiente cauſſa. Quod ſuprà partium enumeratione in primo & ſecundo verſu capitis huius paulo fuſius ac luculentius explicatur.

Quid autem iſtis dulciſsimis, ſignificantiſsimisq́ metaphoris, quibus ibi Deus vineæ ſuæ culturam depingit, aliud deſignatur: quàm illum apud ingratos Iudæos ingentem beneficiorum cumulum poſuiſſe: vt inde, quanti ſemper hunc populum fecerit, quamq́ charus atq dilectus ſibi inde vſq ab initio fuerit, firmiſsimè comprobet?

Hæc tanta beneficia Paulus clariùs exprimens, inquit: Quorū eſt adoptio, & gloria, & teſtamenta, & legis conſtitutio, & cultus, & promiſsiones: Quorum ſunt patres & ij, ex qui-

ex quibus eſt Chriſtus, quantum attinet ad carnem &c. Rom. 9. Item. Ierem. 2. Et Mich. 6.

Et expectaui, vt gigneret vuas.

Alterum argumentum à cauſſa finali.

Expectaui. *id eſt: ſummo ac diuturnô deſiderio flagraui. Idq́ agricolarum more, qui oportuno tempore fructum ex ſemine ſulcis commiſſo vel vinum, poſt diligentem vineæ culturam, auidiſsimè expectant.*

Docemur ergò his verbis, Deum neutiquam voluiſſe Iudæorum exitium, ſed ſalutem & incolumitatem, ſicut omnium hominum, ſeriò concupiuiſſe. Quod confirmat miſsione filij ſui: Quod ipſemet Chriſtus quoq; fatetur, inquiens: Sic Deus dilexit mundum, &c. Ioh. 3. Et atteſtatur Paulus Rom. 8. Qui proprio filio non pepercit: Sed pro nobis omnibus tradi-

dit

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1

dit illum: Quomodo non etiam cum illo nobis omnia donet?

Per vuas, *verum cultum intelligit: Qui verbo in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis expreſſo ſemper regi debet.*

Ex præſenti capite certæ quædam virtutes, quibus Deus coli voluerit, colligi poſſunt: Si, quæ labruſcis, quas hîc recenſet, opponantur, diligenter expendamus. Quæ ſunt: 1. liberalitas. 2. ſobrietas ſeu temperantia. 3. Iuſtitia vniuerſalis. 4. Timor Dei. 5. Veritas. 6. Modeſtia. 7. Iuſtitia particularis. Hæ ſunt dulciſſimæ vuæ: quæ fuiſſent labruſcis amariſſimis à Iudæis opponendæ. Definitiones autem earum Victorinus in fine prouerbiorum Solomonis recitat.

Quamobrem, cum omnia Deus ſummo ſtudio, quæ ad culturam vineæ

ſuæ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1

ſuæ pertinere videbantur, adhibuerit: Dulciſsimasq́ ab ea vuas oportuno tempore expectârit: certiſsimum eſt, ab eo nihil omiſſum: quò minus Iudæi, ſi Deo paruiſſent, ſeruarentur.

De ſecundo.

Et fecit labruſcas.

Labruſcæ frutices ſunt, quæ amaras, inſuaues & ad vinum exprimendum inutiles pariunt vuas.

Non negat hîc vineam ſuam vllum fructum protuliſſe: Sed pro bonis ac ſuauibus fructibus, quos expectârat, malos & acerbos productos eſſe conqueritur. Vnde tacitè commonemur, peccatum non eſſe nudum defectum, ſeu nudam iuſtitiæ carentiam, ſed etiam inclinationem & actionem contra legem Dei, &c. Qua de re alibi copioſius diſputatur.

Eſt ergò alterum, quod in hac ſecunda parte conſiderandum indicaui.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1

Nimirum in Iudæis, non in Deo, exitij eorum cauſam fuiſſe.

Quod ipſum labruſcarum, quas illa ſua vinea genuerat, enumeratione confirmat. Nam ſeptem ordine in hoc capite cum adiunctis pœnis recenſentur. Quæ ſunt. 1. Auaratia. 2. Ebrietas. 3. Contumacia in atrocibus delictis. 4. Epicuræus contemtus verbi. 5. Sophiſtica. 6. φιλαυτία. 7. Corruptela iudiciorum. Harum natiuæ ac viuæ deſcriptiones ex quotidiana hominum vita, & eorum corruptiſsimis moribus petantur. Vt inde manifeſtum euadat: quàm non cupidè, non malitioſè, aut fictè eas Propheta Iudæis ſuis exaggeret & obijciat.

Quapropter iam planè conſtat: cauſſam excidij Iudæorum, non in Deum, qui nihil in vineæ ſuæ cultura prætermiſit, conferendam eſſe: Sed in ipſos ingratiſsimos & petulantiſsimos Iu-

Iudæos: qui optimo & vigilantiſſimo cultori pro expectatis vuis labruſcas acerbiſſimas reddiderint.

Nunc porrò videamus, ſi Deus aliquando graues & commeritas à nobis pœnas expetierit: vtrum is in cauſſa fuiſſe dicendus ſit: An ipſi nos, qui prauiſſimis ac perditiſſimis moribus iſtas commeremur. Certè Deum qui incuſauerint, prorſus illi ſunt iniurij. Nam quid amplius huic vineæ ſuæ, in qua nos plantati ſumus, faciendum erat, quod ille non fecerit?

Is enim nos ad imaginem ſuam condidit: Lapſos miſſione vnigeniti filij ſui redemit: Redemtis ſe patefecit: Dedit verbum & euangelium: Spiritum ſanctum corda noſtra renouantem donat: Gratiam ſuam offert: Promittit vitam æternam. Nos nutrit, fouet, ſuſtentat, valentes conſeruat, prouehit, conſolatur, ſanat, bonis li-

teris erudit, rectis conſilijs iuuat, pro vita, fama, gloria, fortunis, fœlicibus in vocatione ſucceßibus, aduerſus omnes diabolos & diabolorum organa propugnat. His omnibus adijcit hoſpitia mediocria, pacem & mediocrem ſtatum politiæ, Regem pium, bonum, prudentem, beneficum, ſalutarem, iuſtos & æquos iudices, tranquilla & ſuauia coniugia, liberos morigeros, bonam & tranquillam eccleſiarum conſtitutionem, Deniq; alia bona, quæ ſunt innumerabilia.

Nos verò, quos illi tantæ culturæ fructus reddimus? ſperatas vuas, an odioſas labruſcas? vuas certè aut nullas, aut paucißimas: Labruſcarum autem numerum penè infinitum.

Si oculos ad omnes ſtatus conuertas: vbi verus Dei timor reperitur? Pleriq; tam turpiter & impiè viuunt, ac ſi numen nullum eſſet, cuius

vel

vel ira vel iudicium reformidaretur.

Apud nonnullos inuocatio vel tepet vel prorſus friget.

Verbum Dei in eum contemtum deuenit, vt paſſim pro ludibrio & re iocularia habeatur. Nam quò quiſq; expetit ingenioſior videri, eò illud petulantiùs abſurdis commentationibus deprauat & prophanat. Eludatur verò hoc Eſaiæ dictum: Væ dicentibus malum bonum, & bonum malum. Qui ponunt, &c.

Religio iuriſiurandi, quod finis eſſe debebat omnis controuerſiæ, propemodum exulatum abijt.

Sacrum miniſterium in eo honore nonnulli habent: vt eodem animo atq; ſtudio miniſtrum docentem audiant, quo audiuerunt ingrati & maledici Phariſæi ſeruatorem Chriſtum.

Liberi parentum, diſcipuli præ-

ceptorum, ſubditi magiſtratuum faſtidiunt ac detrectant imperium.

Iræ ſtimulis ſemel aduerſus aliquem inflammati: Ita furijs ſtatim ad nocendum rapimur: vt ſæpè vel ipſas feras immanitate vincamus. Inuidos hîc prætereo: qui ſuis ipſi tormentis occupati, nihil cogitant aliud: niſi de eorum, quos oderint, fœlicitate turbanda.

Ebrietatem, quam in hoc capite Deus tam horribiliter taxat & damnat, quis vitat? Imo eò res redijt, vt pro culpa pleriſq; videatur habendum, ſobrium dici aut ſiccum. Adeò plena nunc omnia ſunt beluonum et lurconum.

Libidinum quis pudor? Furum, ſacrilegorum, rapacium, fraudulentorum, impoſtorum, auarorum, prodigorum, mendacium, ingratorum, &c. tantus eſt prouentus: vt nullo numero comprehendi poſſint.

Arbi-

Arbitror equidem ex his, quæ iam ſunt dicta, vel cœco perſpicuum eſſe: Deum noluiſſe Iudæos, tot beneficijs ab ſe cumulatos, perditos: Sed ipſoſmet, qui ſcelerum folle iram illius nunquam deſtiterunt incendere, in culpa fuiſſe. Nec aliter ſentiendum eſt: Si aliquando quoq; de nobis Deus, in quos tot ac tanta beneficia quotidiè confert, pœnas ſumſerit: Quin hoc inuitus faciat, immanibus ac intolerandis ſceleribus noſtris laceſſitus.

Sequitur tertia pars, quæ triſtiſſimas pœnas ingrato populo denunciat.

DE TERTIA
Parte.

Nunc ergo oſtendam vobis, &c.

Nunc autem. *Scilicet cùm mihi vinea mea pro expectatis vuis, nil niſi amaras vuas produxerit.*

Oſtendam. *Scilicet ego Deus, qui nihil, quod ad eius culturam ſpectaret, omiſerim. Oſtendam autem per Prophetas ſeruos meos.*

Vobis. *Scilicet ciuibus Hieruſolymitanis, ac incolis totius Iudeæ: Quòd præmoniti reſipiſcere detrectetis.*

Quid ego, &c. *Id eſt: Quî vineam meam deſtructurus ſim. Per deſtructionem vineæ, intelligit ingrati Iudaici populi reiectionem. Vt Matth. 21. Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Conferatur cum his tota iſta parabola.*

Minatur ergò ſequentibus metaphoris, ſe non minus diligentem fore in deſtruenda vinea ſua, propter eius malignitatem, quàm fuerat hactenus, in ea excolenda, nauus & induſtrius.

Septum. *Per ſeptum auferendum*

& ma-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1

& maceriam diſrumpendam prædicit muros Hieroſolymitanos diruendos, adeoq́ totam Iudæam munitionibus, præſidijs, ac ornamentis ſuis omnibus tàm ſpiritualibus quàm corporalibus exuendam.

Falx putatoria, &c. Notat Propheta his verbis finalem euerſionem Iudaicæ politiæ, quæ per Romanos, Imperatore Tito Veſpaſiani filio, facta eſt.

Vepres & ſpinæ. Stipendium peccati ſe habet, vt ipſum peccatum. Nam ablato bono ſuccedit malum. Interim obſeruandum eſt, per vepres & ſpinas, ſignificari gentes impias & prophanas, de quibus Chriſtus Lucæ 21.

Nubibus, &c. Non tantum nubibus vetabit, ne pluuia rigent ac fœcundam efficiant terram: Sed etiam ſe illis doctores pios ac ſalutarem doctrinam ademturum denunciat. E-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1

ſaiæ 55. Idem per Prophetam Amos comminatur, cap. 8.

O ferrea pectora, & quouis adamante duriora, quæ hiſce fulminibus vocis diuinæ, triſtiſſimisq; exemplis moueri flectiúe nequeant. At quid de talibus ad extremum futurum ſit: Docet Salomon prouerbiorum capite primo ſub finem.

Nos verò hiſce, dum adhuc eſt tempus gratiæ, & moueamur & conterreamur, in memoriam nobis reuocantes, quod Paulus monet Rom. 11. Ne efferaris animo, ſed timeas. Nam, ſi Deus naturalibus ramis non pepercit, vide ne fiat, vt nec tibi parcat. Et Chriſtus ipſe Lucæ 13. Niſi reſipueritis, omnes ſimiliter peribitis.

Quomodo autem reſipiſcamus, & verâ ad Deum pœnitentia conuertamur, cras, volente Deo, dicetur.

CON-

CONCIO SECVNDÆ Diei.

Ioël 2.

ET etiamnunc dicit Dominus. Conuertimini vſq; ad me in toto corde veſtro, & in ieiunio, & in fletu, & in planctu. Et ſcindite cor veſtrum & non veſtimenta veſtra, & conuertimini ad Dominum Deum veſtrum. Quia benignus & miſericors eſt, longanimis & multæ miſericordiæ & pœnitens ſuper malum.

Quis nouit ſi conuertatur & pœniteat ipſum: Et reliquam faciet poſt ſe benedictionem, Sacrificium & libamen Domino Deo veſtro.

ENAR.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1

COr hominis tanquã agrum quendam, quem excoleret et vnde fructum perciperet, Deus delegit. Cùm autem ſuâ natura ille ipſe ſit ſpinis & vepribus obſitus, atq; ab ipſo fundi domino ſuper ſpinas ſeminare ſit interdictum, Ierem. 4 rectiſsimè faciunt, qui culturæ huic manum admoturi, primùm quidem arando à ſpinis incultum agrũ purgant, deinde verò ſementem minimè fruſtraturam faciunt. Cùm igitur concione illa legali, quam heſterna die audiuiſtis, quaſi aratro quodam vſi ſimus, ad faſtuoſum illum & rigidum Adæ ſpiritum in nobis & auditoribus contundendum & emolliendum: Iam ſementem illam verè precioſam ex Iohele adferemus, conſolationem nimirum efficaciſsimam, quam ſi corda no-

ſtra acceptarint, haud dubiè deinceps in exultatione meſſuri ſumus, hoc eſt: Summa animi alacritate et promptitudine, Deo liberatori gratos nos præbebimus. Continent autem hæc Prophetæ verba grauiſſimam exhortationem, qua non ſolum ſuæ ætatis Iudæos, ſed etiam omnes omnium ætatum homines, qui Eccleſiæ Dei nomine gaudent, ad ſeriam inuitat pœnitentiam, propoſitâ Dei immenſa miſericordia, qui pœnitentes, nequaquam aſpernari, ſed paterno potiùs amore complecti certò velit.

Partes autem tres erunt.

Primâ docebimus in vera hominis ad Deum conuerſione, ante omnia neceſſariam eſſe ſeriam cordis contritionem, cohorreſcentis ad conſpectum iræ Dei aduerſus peccata.

Secundâ. Non eſſe deſperandum, ſed

ſed cùm copioſa apud Deum ſit miſericordia, eamq́ gratis propter filium reſipiſcentibus offerat, fide illam eſſe acceptandam.

Tertiâ. Partâ gratia & benedictione Deo libamen & ſacrificium nos debere, hoc eſt, gratitudinem & veram animi ſubiectionem, qua nos totos Deo dedimus.

PRIMA PARS.

Inſtituti noſtri non eſt, de contritione integram doctrinam tradere, Sed quia ſingula Prophetæ verba pondus habent ſingulare, ex ijs ea, quæ ad præſens negotium facient, compendioſè eliciemus.

Primò igitur notatu dignum eſt quod dicit: Et etiamnunc. Significat ſcilicet nimis ferè diu pœnitentiam nos diſtuliſſe, attamen etiamnum Deum velle ſalutem noſtram, & pœni-

tentiæ

tentiæ locum dediſſe. Priore enim parte capitis huius oſtendit Deum contra nos pœnarum & calamitatum, quaſi exercitum quendam coëgiſſe, iam iamq́ nobis imminere, & terribilem illum Domini diem præ foribus eſſe, quem euitare non licebit: Attamen ſui haud ita eſſe impotentem Deum, quin in maximo iræ ſuæ feruore, miſericordiæ reminiſcatur. Hoc itaq; Etiam nunc, ad nos excitandos comparatum eſt, ne ſcilicet peccati veterno & ſecuritati profundiùs immergamur, ſed quæramus Dominum, quando inueniri poteſt, Eſa. 49. ne ſi fortè media nocte aduenerit ſponſus & vacuas inuenerit lampades noſtras, dicat nobis, Non noui vos. Matth. 25.

Deinde etiam venerandum illud nomen Iehoua, non poteſt non percellere piorum animos, cùm cogitant Prophetam ſua nobis conſilia & cogitata non

obtru-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1

obtrudere, ſed ipſius Dei vocem proponere. Quanto igitur ipſe ſublimior eſt, tanto maioris auctoritatis apud nos eſſe decet vocem eius. Tertiò. Cuiuſmodi illa Dei vox eſt? Conuertimini vſq; ad me in toto corde veſtro. *Hæc ſumma eſt exhortationis diuinæ, Neq; grauioribus verbis Dei mentem nobis ob oculos ponere potuit Propheta. Voce enim* Conuertimini. *monemur naturam & indolem noſtram à Deo omnis boni fonte, auerſam eſſe, noſq; latam illam Mundi viam, quæ ad interitum ducit, ingreſſos, & incredulitate, amore noſtri, & rerum mundanarum concupiſcentia miſerè ſeductos & faſcinatos eſſe. Ideoq; aliâ via omninò inſiſtendum, modò interitus foueam deuitare, & æternorum bonorum participes eſſe deſideramus.*

Illam autem viam, quam pij ingredi debent, admodum arctam mini-

méq;

méq; tritam, eiusq; portam anguſtam eſſe Chriſtus docet: cùm pauci eam nôrint, nec omnes qui cognitam eam habent, ingrediantur. Mortis enim inſtar eſt carni & ſanguini noſtro, nos ipſos abnegare, Mundoq; & voluptatibus eius valedicere, & ea omnia in quibus antea ſuauiter acquieuimus, gauiſi ſumus, & quaſi viximus, animo noſtro aliena facere. Sed audendum eſt, & contra nos ipſos ſuſcipienda nobis pugna eſt, aliàs enim vſq; ad Dominum *reuerti, haud poterimus.*

IEHOVA igitur ſeu Dominus, Terminus eſt ad quem tendere & pertingere pios & pœnitentes decet, ipſe n: eſt ſalus noſtra, ex cuius plenitudine & copia, omnes nos mutuari & accipere, quicquid ad æternam ſalutem obtinendam neceſſum fuerit, oportet.

Quartò, in ſequente verſu, quum Propheta inquit: Conuertimini ad Domi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1

num Deum veſtrum, *oſtendit Deum optimo iure nos ſibi totos vendicare, adeoq́ nos nihil Sathanæ aut mundo debere, ſed Plagium committere nos, & diuini Numinis Maieſtatem lædere, quando nos ipſius hoſtibus & inimicis dedimus.*

Neq́ caret Emphaſi quod dicitur: Vſq; ad Dominum. *Vult enim vt ſeriò & ſemper properemus vt imagini ſpiritus, & affectus eius, quantum fieri poſſit reddamur conformes, iuxtaq́ veram pacem & æternæ vitæ guſtum in ipſo percipiamus. Cauendum igitur ne carnis deſiderio & huius mundi vanitatibus retrahi nos ab incepto permittamus.*

Quintò. Quomodo autem hæc fieri debeat conuerſio, iam deinceps docet Propheta, cum ait: In toto corde veſtro, in ieiunio, fletu & planctu.

Primò igitur totius cordis conuerſionem

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1

ſionem exigit Deus, omnesq́; affectus & cogitationes innouari poſtulat, vt cor nouum & ſpiritus ſpontaneus in nobis creetur, Pſal. 51. Seriò nimirum vrget pœnitentiam, & ſedulò cauendum ab Hypocritarum conuerſione docet, qui partem cordis Mundo, partem Deo commodant, quod qui faciunt, ſe ipſi miſerè fallunt. Deus enim homines duplicis cordis extremè odit, neq; tepidos patitur, ſed mauult vel frigidos, qui nulla pietatis externæ ſpecie oculis Dei quaſi præſtigias offundere conantur.

In ieiunio, fletu & planctu, *Seriam hîc contritionem efflagitat, quam in conuerſione præmitti debere neceſſarium diximus.*

Conteri enim omninò oportet corda noſtra, quæ in ſaxeum vſq; rigorem induruerunt.

Fulmine autem legis diuinæ &

viuo Dei verbo vt conterantur neceſſe eſt, neq; enim alius eſt malleus petram contundens, Ierem. 23. neq; alius gladius vtrinq; acutus, qui in ipſam vſq; animam et medullam penetret. Heb.4. Ante omnia igitur neceſſum eſt, vt ſedulò contemplemur fœtidam illam & deformem natiuitatis noſtræ faciem in ſpeculo legis diuinæ, atq; cognitâ plaga cordis noſtri nobis ipſi diſpliceamus, & naturæ noſtræ putida vlcera ſeriò lugeamus, & ad conſpectum iuſtiſſimæ iræ Dei cohorreamus: In ſumma, ne quid voluptatis aut gaudij ex noſtro eſſe aut poſſe capiamus, ſed dolore potiùs & pudore afficiamur: Neue ita affecti ſolatium vllum in vlla creatura, vt vt in ſpeciem dulci & delectabili quæramus, ſed omnes mundi & carnis delicias, quàm diligentiſſimè vitemus & auerſemur. Illud enim verum eſt & ſalutare ieiunium, & verus luctus,

non

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1

non quòd ipſo hoc òpere gratiam mereamur apud Deum, Sed quia hac ratione corda noſtra duritiem paulatim exuunt, & idonea acceptandæ conſolationum ſementi redduntur. Eum enim in modum affecti, primùm auida illa gratiæ ſiti corripimur, neq; priùs aquæ illius viuæ fontes nobis dulceſcunt, aut etiam ſapiunt, quàm ad eos ardenti deſiderio feſtinauerimus, quod fiet cùm amarum à Chriſto nobis propinatum calicem libenter exhauſerimus. Hinc eſt quòd ſitientes tantùm, ad ſcaturigines aquæ viuæ ex Abyſſo miſericordiæ Dei profluentes inuitentur, quòd Eſurientes tantum, impleantur bonis, quòd ad contritum corde & contribulatum ſpiritu Deus reſpiciat, &c.

Et fruſtraneus omninò labor eſt ſuper ſpinas ſerere, Euellendæ igitur & extirpandæ ſunt, quô iuxta conſi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1

lium Ieremiæ, nouale Domini nobis nouare poſſimus.

Hac ergò ratione ſcindenda nobis ſunt corda noſtra, vt pretioſum Euangelij ſemen auidè accipiant, tum enim futurum eſt, vt veniendo veniamus cum exultatione portantes manipulos noſtros, hoc eſt, fructus Deo gratiſſimos. Atq; hæc de prima parte dicta ſunto.

SECVNDA PARS.

Quoniam iam antea horrendam Dei iram aduerſus obſtinatos, & in peccatis perſeuerantes ob oculos poſuerat Propheta, Iam qualis idem erga reſipiſcentes ſit docet, nimirum planè paterno animo & immenſa miſericordia. Quia autem plerią; omnes, cùm Deum iratum coràm intuemur, & grauiſſimâ peccatorũ mole premimur, præ terrore & labore labaſcimus, id

eſt

eſt infirmioris ſumus fidei & etiam-num vacillantis, Propheta Scipionem bene firmum nobis porrigit, cùm Dei optimi maximi, benignum & amicum erga nos vultum luculenter depingit.

Singula igitur hæc adiuncta quæ Deo tribuit, breuiter conſideremus.

Quia benignus eſt. *Vel (vt reuera ſonant verba) Errata multa condonans, clemens, facilis.. Nam etſi ijs, qui in tentatione ſunt conſtituti, ſubinde videatur durior & implacabilis etiam, nequaquam tamen talis eſt, ſed talem ſe nobis exhibet, vt nimirum eô maiore deinceps odio, peccatum, cui Deum tam grauiter iraſci ſenſimus, proſequamur.* II. Miſericors. *Qui intimo amoris affectu erga nos commoueatur, neq; aliter quam parens aliquis* φιλόστοργος *erga periclitantes & afflictos liberos ſuos affectus ſit. Sicut Pſalmographus de ipſo affirmat.*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1

Et vt ſui erga nos ardentis amoris ve-ſtigium aliquod in nobis relinqueret, ϛόργην *& amorem illum genuinum erga liberos parentum pectoribus, tàm brutorum quàm hominum inſculpſit.*

III. Tardus ad iram ſeu longanimis. *Diu enim multumq́ conniuet Deus, ſicut dicta & exempla multa nos docent: Neq́ etiam tum iraſcitur ſeriò, quando pœnas infligit. Nam puniendo noſtrum non ſpectat exitium aut interitum, ſed emendationem, iuxta Apoſtoli dictum: Cum iudicamur à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Quanquam haud facilè in pœna ſeu calamitate id nobis perſuademus. At verò tum demùm ſeriò & verè iraſcitur, cum nulla conuerſionis ſpes reliqua eſt.*

IIII. Magnæ pietatis & beneficentiæ. *Poſtquam enim dixit, quod ad iram & pœnam tardè admodum & non niſi*

niſi coactus procedat, iam ècontra, quòd in benefaciendo multus & magnus ſit, affirmat, quodq́; nihil malit, quàm miſeris & afflictis opem ferre.

V. Et pœnitens ſuper malum. *Dulciſsima eſt conſolatio, opponenda tentationi quæ fingit Deum eſſe ſtoicum, qui ſcilicet ad commiſerationem flecti nequeat. Hoc enim loco & ſæpè aliàs apud Prophetas Deus pœnitudine duci dicitur, hoc eſt, pœnam mitigare vel auertere, non quod eo nomine Deum mutabilem eſſe ſtatuamus, ſed quia Dei hæc natura eſt, & decretum immutabile, quòd velit bonus eſſe bonis, & malis inimicus. Hunc igitur dulciſsimum Euangelij fontem ſitibundi accedamus, & ex eo conſolationem hauriamus.*

Quis ſcit ſi conuertatur, & relinquat poſt ſe benedictionem. *De Dei animo haudquaquam dubitat Propheta, niſi*

fortè per benedictionem intelligantur corporalia bona, (ſicut aliâs ſæpè.) De iis enim quid velit Deus ſtatuere, ſatius eſt ipſius ſapientiæ relinquere, quàm præſcribere. De ſpiritualibus autem animæ bonis planè mentem ſuam abſq; conditione expreßit. Atq; adhuc de ſecunda parte.

TERTIA PARS.

Sacrificium & libamen Deo veſtro.

Vide quorſum reſpiciat Propheta, non ad voluptates, faſtum, luxum, aut ſtabiliendum imperium, aut alias vanitates cuiuſmodi Mundus vt plurimum in rerum copia ſectatur. Sed vnicum Dei cultum, quem partâ Dei gratia eiuſdemq; benedictione ante omnia ſtabiliri & promoueri cupit.

Ad ſpiritualia igitur bona & nos in primis oculos & animum conuertamus, quæ longè potiora ſunt momentaneis

neis hiſce: In iis enim verum & ſolidum gaudium & lucem percipiemus. Namq; eum in finem Deus nos condidit & lapſos redemit, vt de manu omnium inimicorum noſtrorum liberati ſeruiamus ei in ſanctitate & iuſtitia omnibus diebus vitæ noſtræ.

Atq; hæc hactenus de vera hominis conuerſione ad Deum, deq; paterno eius amore erga reſipiſcentes. Cras autem illuſtris illa concio ex Eſaiæ 49. proponetur, in qua inexhauſta illa Dei erga conuerſos bonitas & pluſquam paterna ςόργη, ad viuum depingitur.

CON.

CONCIO TERTIÆ Diei.

Eſaiæ 49.

CAntate cœli, & exultate terra, Iubilate montes laudem, quia conſolatus eſt Dominus populum ſuum, & pauperum ſuorum miſerebitur.

Et dixit Sion: Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus eſt mei.

Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? & ſi illa oblita fuerit: Ego tamen non obliuiſcar tui. Ecce, in manibus meis deſcripſi te: muri tui coram oculis meis ſemper.

ENAR-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1

AVdiuimus, dilecti mei, biduo iam præterito, duas conciones: Vnam quidem ex Eſaia, qua turpis & ſcelerata ingratitudo Iudæorum erga Deum, à quo longè maximis beneficijs affecti fuêre illi, accuſatur grauiſsimè, ijſdemq́, ob ingratitudinem illam, & alia enormia peccata, pœnæ atroces denunciantur: Alteram verò ex Ioële deſumptam, per quam Deus edocet populum ſuum, mala, quæ Iudaicæ Reipublicæ, ob perpetrata ingentia ſcelera, imminent, verâ reſipiſcentia & vitæ in melius mutatione, auerti poſſe. His additur tertia ex eodem Eſaia, quæ hodierno die tractabitur: Eſtq́ eius hæc ſumma & argumentum.

Propheta, poſtquam Euangelij ampliſsimas promiſsiones, ſub Chriſti per-

ſona,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1

ſona, expoſuiſſet: inuitat Eccleſiam Dei ad læticiam ſpiritualem, & gratiarum actionem Deo debitam, ob liberationem, in quam populus, ex ſeruitute peccati & regno Diaboli, Chriſti beneficio, aſſertus erat, eundemq́ populum aduerſus tentationem de ſui à Deo abiectione, dulciſsimis Euangelij promiſsionibus munit & confirmat.

Partes tres ſunt.

1. *Exhortatio Eccleſiæ ad læticiam & gratiarum actionem.*

2. *Deſcriptio tentationis piorum de ſui abiectione.*

3. *Conſolatio aduerſus eiuſmodi tentationem.*

DE PRIMA *Parte.*

Prima pars his verbis deſcribitur.

Cantate cœli, &c.

Hæc verba duo continent: Hortationem

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1

tionem nimirum & cauſam hortationis.

Hortatio eſt, vt vniuerſa Eccleſia, quæ Sionis nomine intelligitur, verâ & ſolidâ læticia afficiatur, huius læticiæ magnitudinem amplificat, quód ea quoq; ad res omnes creatas pertineat. Cantu enim cœli, terræ iubilatione & fragore montium, maxima læticia indicatur: quo figurato ſermone ſæpè vtitur Spiritus Sanctus, vt Pſal. 19. 148 Rom. 8.

Porrò ad hanc ſpiritualem læticiam ſæpè inuitantur pij, vt Pſal. 22. Lætamini in Deum: & 40. Exultent & lętentur omnes. Philip. 4. Gaudete in Domino ſemper. Oritur autem hoc gaudium ab agnitione præſentiæ Dei & liberatione ex rebus aduerſis. Vide Pſal. 89. vbi hoc gaudium illuſtribus verbis deſcribitur. Repetatur etiam integra doctrina de

gratia-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1

gratiarum actione. *Atq; hæc de hortatione ipſa.*

Cauſam tantæ læticiæ his verbis exponit Propheta. Quia conſolatus eſt Dominus, &c. *Hæc ratio ſumpta eſt à beneficijs Dei, qui Eccleſiam ingentibus ærumnis, ac imprimis tyrannide Diaboli et peccati penè oppreſſam, dulciſsimis Euangelij promiſsionibus, de liberatione per Chriſtum futura, erexerit, & à deſperatione auocârit, idq; ingente ſua clementia & bonitate motus.*

Cuiuſmodi autem cœtus hominum ſit Eccleſia, paupertatis appellatione Synecdochicè indicatur.

Similis deſcriptio Eccleſiæ eſt Sophoniæ 3. Relinquam in medio tui populum pauperem & humilem, qui tamen in me ſperet. Quomodo verò ab hac ſua paupertate liberetur Eccleſia, docet Paulus 2. ad Corinth. 8. Chriſtus

propter

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1

propter nos pauper factus eſt, cùm eſſet diues; vt nos illius paupertate diteſceremus.

Hæc ad nos, noſtraq́ tempora etiam pertinent. Nam quæ ſcripta ſunt propter noſtram doctrinam ſcripta ſunt.

Vt enim Iudæi illi ſub pio & ſancto Rege Ezechia vixêre: Ita nos quoq́ ſub pio & verè Chriſtiano Magiſtratu viuimus. Vt illi ſuos domeſticos & externos hoſtes habuêre: Ita nobis ſunt hoſtes, quibuſcum quoad hîc vixerimus, depugnandum erit. Vt illis fuêre ampliſſimæ promiſſiones de liberatione à ſeruitute peccati, Diaboli, &c: Ita nobis quoq́ ſunt eædem promiſſiones & quidem multò, iam in carne manifeſtato Chriſto, illuſtriores.

DE SECVNDA Parte.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1

Secunda pars his verbis deſcribi-tur: Dixit Sion. *Oratio eſt Eccleſiæ, quæ Sionis appellatione intelligitur, luctantis cum graui tentatione, quòd à Deo videretur negligi. Habuêre quidem Iudæi magnificas promiſsiones, & conſolationis pleniſsimas de auxilio Dei, eiusq́ præſentia: Sed contrarium experti ſunt. Nam cùm viderent, vaſtatâ Samaria, abductas in captiuitatem decem tribus, aliasq́ in regno Iudæ confuſiones, opinabantur, Dominum populi ſui penitus oblitum.*

Huiuſmodi luctam piæ conſcientiæ ſentiunt ſæpè in pauoribus, quos creat ſenſus peccati, vt ſtatuant ſe à Deo omninò deſertas, & obliuioni perpetuæ traditas, ac ſi nullus iam amplius, neq; conſilij neq; auxilij apud eum locus ſuperesſet.

Hæc lucta vires animi & corporis conſumit, & medullas oſsium exic-

cat,

cat, quod ex ijs conſtat, qui in hac are-
na deſudârunt.

Adhibe Dauidis præ multis exem-
plum, cuius hæ ſunt voces. Vſq; quo
Domine obliuiſceris me in finem, Pſal-
mo 13. Nunquid in æternum proijciet
Deus, Pſalmo 77. Item, Dixi in an-
xietate mea, proiectus ſum à facie tua.
Item, Quare triſtis es anima mea? &c.
Voces ſunt & verba languidæ fidei,
& cum diffidentia, quâ & hîc Sion
laborat, luctantis.

His & ſimilibus telis & inſulti-
bus, non ſolùm imperitos certaminum
ſpiritualium, ſed & probè exercitatos
adoritur Satan, vt Deum ipſis, natu-
râ noſtri ſtudioſiſsimum, μυσάνθρωπον
& tyrannum (qualis Iobo & Gideoni
viſus) depingat. Summa itaq; ars
eſt chriſtianorum, imò ipſa practica
Theologica, cùm inundant torrentes
hi Belial, Chriſtum cum Thoma Do-

minum NOSTRVM *& Deum* NOSTRVM (*ſiue ſæuiat, ſiue blandiatur, vt cum Auguſtino loquar) credere & confiteri.*

DE TERTIA Parte.

Nunquid poteſt mulier. *Hæc pars continet dulciſsimam conſolationem, dubitationi de cura Dei pro nobis opponendam. Summa hæc eſt, Deus non obliuiſcitur Eccleſiæ ſuæ, quantumuis afflictæ & ærumnoſæ, quod aliquot ſimilitudinibus Propheta declarat. Earum prima ſumitur à ſtorga materna erga liberos. Mater enim ſuauiſsimum affectum, & cor maximè ſolicitum erga infantem ſuum (vnde cor maternum dicimus pro amiciſsimo) ſiue in otio ſit, ſiue negotio, habet: hunc geſtat, hunc fouet, hunc etſi interdum ſordidulum, & aſpectu fœ-*

dum,

dum, oſculatur, huic ſuauiter abblanditur, morti ſe obijcit vt filium tueatur, deniq; nihil non agit φιλοστοργοτάτη hæc mater, vt filium oblectet, eiq; benè ſit. Legatur eadem ſimilitudo, infrá, cap. 54. & 66, vbi immenſitatem miſericordiæ & φιλανθρωπίας diuinæ nobis commendat Spiritus Sanctus, & maiorem in Deo erga Eccleſiam amorem (quod omnium maximo argumento filij ſui morte teſtatus eſt) quàm in matribus ipſis erga liberos declarat.

Altera his verbis deſcribitur: Ecce in manibus meis deſcripſi te. Hæc ſimilitudo ſumitur ab ijs rebus, quæ ſemper nobis in conſpectu ſunt: cuiuſmodi ſunt illa, quæ manibus & digitis noſtris tenemus, vide Deut. 6.

Duo nos monet hæc ſimilitudo. Vnum, vt cùm Deo quaſi in manibus ſcripti ſimus, certò nobis perſuaſum

habeamus, Paternâ eius cura & pro-tectione nos tutos eſſe. Alterum cùm omnia noſtra opera pateant, & expoſi-ta ſint Dei oculis (Apoc. 3. Scio ope-ra tua) vt digna eius conſpectu, & oculatiſsimis manibus, operemur, ne-quando peccatis noſtris offenſus, obli-uioni nos tradat, & à conſpectu ſuo remoueat. Quod Deus Regi Iudæ mi-natur. Iere. 22. Viuo ego dicit Domi-nus: ſi fuerit Iechonias filius Ioachim Regis Iuda annulus in manu dextera mea, inde euellam eum, & dabo te in manu quærentium animam tuam.

Tertia, quæ exponitur his verbis: Muri tui coram oculis meis ſemper: *Su-mitur ab ijs, qui in loco benè munito, nihil ſibi metuunt ab hoſtium incurſione & alijs malis, quibus illi expoſiti ſunt, qui in loco omni munitione deſtituto verſantur. Senſus itaq; eſt: Deum ſuis in quibuſuis periculis, fore loco mu-*

nitæ

nitæ vrbis, eosq́; tutos ab omnibus periculis præſtaturum: Quemadmodum Elizæo in Dothaim à Syrijs obſeſſo murus extitit & exercitus igneus. Reijciamus ergò, freti tot promiſsionibus, in eum omnem curam & onus noſtrum, vt Dauid loquitur: Certò ſtatuentes, nihil eorum quæ nobis intentantur, vel à Diabolo, vel ipſius miniſtris, nocere poſſe, cùm etiam capilli omnes capitis noſtri ſint numerati, Matth. 10.

Moueant igitur nos horrendiſsimæ comminationes, quas ſuprà audiuimus, vt agnoſcamus grauiſsima & multiplicia peccata noſtra, quibus non ſolùm temporales, verùm etiam æternas pœnas iuſto Dei iudicio meruimus: Neq; tamen deſperemus de gratia & miſericordia Dei, propter peccatorum noſtrorum vel multitudinem vel atrocitatem: Sed verâ minimèq; fucata pœ-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1

nitentia, ad Deum nos conuertamus, nihil dubitantes, quin & peccata gratis nobis condonet, & præſentes atq; imminentes pœnas, clementer propter filium mitiget. Neq; frangamur animis, etiamſi varijs nos ſæpenumero calamitatibus Deus exerceat: Sed certâ atq; indubitata ſpe, in eum recumbamus, qui iuxta dulciſsimas ſuas promiſsiones, inſtar benignæ Matris ſobolis ſuæ amantiſsimæ, intra miſericordiæ ſuæ vlnas nos verè recipiat, & ab omnibus aduerſis clementer tueatur atq; defendat, idq; per ac propter filium eius vnigenitum, cui cum Patre & Spiritu Sancto ſit, laus honor & gloria, in omnem æternitatem,

A M E N.

ORDI.

ORDINATIO PRECAtionum, *Epiſtolarum & Euangeliorum*, quæ ſingulis diebus recitabuntur.

PRIMAE DIEI Precatio ſiue COLLECTA.

O Allmectigſte / Barmhiertige GVD oc naadige Fader / Wi arme Menniſke/ bekiende dine mangfoldige oc wſigelige velgierninger/ huilcke du aff din faderlige Godhed/ haffuer beuiſt oſſ dine wtacknemmelige Børn / baade Aandelige oc legemlige/ for huilcke oſſ burde at beuiſe dig all tacknemmelighed / oc tilbørlig lydighed: Men wi arme Syndere bekende vor ſtore wtacknemmelighed/ oc mangfoldige Synder/ met huilcke wi haffue vel fortient/ at du ſkulde tage ſaadane dine velgierninger fra oſſ: Wi bede dig ydmygelig O Naadige Fader/ Du vilt icke tilregne oſſ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1

vor ſtore wtacknemmelighed oc mangfóldige Synder/men dennem Naadelig affſlette oc tilgiffue / oc Naadelig beuare oſſ dine Faderlige gaffuer oc velgierninger / Du vilt icke Endelige ødelegge oſſ/ men Naadelig beuare oſſ fra Krig oc Orloff/ Peſtilentze/ Hunger oc Dyr tid / oc alle andre plager / ſom din Retfærdige vrede truer oſſ met / at wi maa ſee oc kende din Faderlige hielp/ Oc altid loffue oc priſe dig ſom en Naadig oc Barmhiertig Gud oc Fader / ved din Eniſte oc Elſkelige Søn JEſum CHriſtum vor HErre/Amen.

LOCO EPISTOLÆ,

Eſaiæ 5.

Nunc igitur habitatores, &c.

EVANG: Matth. 11.

Initium. Tunc cœpit exprobrare.
Finis. Quia terræ Sodomorum.

SE.

SECVNDÆ DIEI
Precatio.

O Du Naadefulde / oc Barmhiertige Gud / oc Alſomkiæreſte Fader / du ſom haffuer loffuit oc tilſagt oſ / at du icke vilt nogen Synderis død / men at hand ſkal omuende ſig oc leffue / Wi arme Menniſke bekende / oc aff hiertet begræde vore mangfoldige Synder / met huilcke wi haffue fortient baade timelig oc euig ſtraff : Wi bede dig O Naadige Fader / du vilt icke handle met oſ effter vore Synder / men effter din Faderlige Naade oc Barmhiertighed / Du vilt begaffue oſ met din hellig Aand / at wi met en aluorlig Poenitentz maa omuende oſ til dig / oc rætte oc bedre vort ſyndige Leffnit / oc ſaa naadelige vndgaa baade timelig oc euig ſtraff / oc endelige met dig bliffue ſalige / ved din Eniſte oc Elſkelige Søn JEſum Chriſtum vor HErre / Amen.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1

LOCO EPISTOLÆ,

Ioël: 2.

Nunc ergo dicit Dominus, &c.

EVANG: Matth. 3.

Initium: Videns autem multos Pha-
(riſæorum.

Finis: Omnis ergo arbor.

TER.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1

TERTIÆ DIEI
Precatio.

O Allmectigſte / Naadefulde oc Barmhiertige Gud/ oc allſomkiæriſte Fader/ Wi tacke dig aff vort gantſke Hierte/ at du formedelſt din hellig Aand/ trøſter vore bedrøffuede Hierter oc Samuittighed/ At wi maa forlade oſſ til din Faderlige Naade oc Barmhiertighed: Wi bede dig ydmygelig O naadige Fader / du vilt ved den ſamme din hellig Aand naadelig opholde oſſ/ vdi all bedrøffuelſe/ kaarſſ oc modgang/ At wi met en faſt tro oc Chriſtelig taalmodighed / maa foruente din Faderlige hielp / vdi alle de ting/ dig kand være til ære / oc oſſ kand være nyttelige baade til Siæl oc Liff: Du vilt naadelige beuare oſſ dit hellige oc ſalige Ord/oc Ordſens tienere/i en Chriſten Enighed oc Samdrectighed: Du vilt ſee naadelig til vor Naadige Herre oc Konge/ Kong Frederich/ Oc naadelig beuare hannem i din ſande fryct/ du vilt holde han-

nem

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1

nem vdi din Guddommelige beſkyttelſe oc beſkermelſe: Du vilt begaffue hannem met ret Viiſdom oc Forſtand / oc alle andre Kongelige dyder: Du vilt naadelig beuare hans Naadis Høybaarne Førſtinde/ Dronning Sophia/ den vnge vdualde Herre/ oc de andre deris elſkelige Børn: At de met menige Danmarckis oc Norgis Rigers Raad oc Adel / oc all Chriſten Øffrighed oc Vnderſaatte / formedelſt din Guddom̃elige beſkyttelſe oc beſkermelſe/ maa naadelige beuaris fra all fare oc wlycke / fra Krig oc Orloff/ Peſtilentzc/ Hunger oc Dyrtid/oc alle andre velfortiente plager: Du vilt regere alle deris raad oc anſlag / til dit hellige Naffns ære. Oc giffue vor Naadige Herre oc Konge / it languarende/ lyckſaligt oc fredſommeligt Regimente / Saa at wi met alle andre hans Naadis Vnderſaatte/ kunde leffue it roligt oc fredſommeligt Leffnit / vdi all gudelighed oc ærlighed/ Ved den ſamme din eniſte elſkelige oc enbaarne Søn JEſum Chriſtum vor HErre/ AMEN.

LOCO

LOCO EPISTOLÆ,
Eſaiæ. 49.

Laudate cœli, &c.

EVANG: Matth. 11.

Initium: Venite ad me omnes, &c.
vſq; ad finem capitis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1132 8° copy 1